Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8957
Copyright: Melk, Benediktinerstift

uit flagellis cesus sum. Credite mihi quia nullo modo uobis parcam si meis non acquiescatis consiliis. Sed crastina die morti uos tradere faciam. Illi autem fures cum uiderent se deprehensos, estimantes quem pictam fuisse de propriis qui eos deplorassent, nimium mente consternati et ultra quam credi potest exterriti uehementer metu mortis per tetra noctis silentia reportauerunt omnia et intelo neo reposuerunt. Mane autem facto cum uenisset barbarus et uideret cunctam suam substantiam quam amiserat, flere cepit pre gaudio, cui tale fuerat miraculum demonstratum per sanctum Nykolaum. Tunc apprehensa imagine cepit deosculari eam dicens: O sancte Nikolae fidelis et iuste piissime et misericordissime serue dei excelsi, quam sublimis, quam magnus quam prepotens factus es, primusque et familiaris deo regi inmortali. Cum uiuens militare non cessasti, a quo potestatem accepisse probaris ut talia facere possis, qualia et mihi gentili errore insensibili patrare dignatus es. Ab ista namque die credo in Christo et uite. Credidit autem in Christo domino et babtizatus est ipse et domus eius tota, et fecit ecclesiam in honore sancti Nykolai, in qua moratus ipse cum uxore sua pariterque et cum filiis glorificantes deum et sanctum eius Nykolaum. Hec fuit prima occasio quia apud affricanas regiones beatus agnitus est Nykolaus. Et paulatim ita nomen eius apud barbaros succreuit, ut magnis obsequiis etiam ab his qui carent babtismate frequentaretur. Nullus enim est ut estimamus iam in orbe terrarum locus tam remotus tam abditus, nec etiam solitudo uel heremus, quem et fama et miracula domini Nykolai confessoris piissimi non illustrauerit. Testes ex hoc consistunt non solum omnis prouincie grecorum de quibus originem duxisse comprobatur, uerum etiam et Rome orientale regnum. Testes etiam sunt barbarorum diuerse nationes diuersis linguis utentes que obsequium ei pie deuotionis exhibent. Italie uero habitatores primitus nimis quamuis moderno tempore inchoauerint deuote celebrare eius sollempnitates, didiceruntque eius miraculo assidue iocundati ecclesias plurimas auxiliante deo in honore sancti Nykolai construere iam et dedicare meruerunt. Ut hic eum patronum et aduocatum et in futuro apud ipsum mundi conditorem intercessorem habeamus, per eum qui uiuit et regnat in secula seculorum. Amen.

INCIPIT PROLOGUS DE TRANSLATIONE SANCTI NIKOLAY EPISCOPI. Que est septima IDUS MAII.